



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

Hebdomas VI. Post Epiphaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

6. De præcipuis actibus amoris Dei, ut sunt: velle Deo omne bonum, amplecti omne eius beneplacitum, exequi omnem eius nutum: Gratitude, ut sunt: agnoscere beneficium, laudare benefactorem, beneficium compensare: Zeli gloriæ Dei, ut sunt: optare Deum ab omnibus agnosci, amari, glorificari; dolere eum vlla ratione ab vho offendi; pro eius gloria velle quiduis facere & pati: & similia virtutum actibus. In quorum singulis expendendum 1. quàm Deo grati, & meritorij sint, si perfectè, i. purè, intensè, constanter, insatiabiliter exerceantur. 2. quàm perfectè eos Christus, aut B. V. frequentarit, quàm copiosam gratiam imitandi tibi promeruerit. 3. quàm oscitanter eos hucusq; elicueris, quàm ardentè deinceps velis elicere, cum detestatione teporis & proposito emendationis, subiecto affectuosè hymno: *Iesu nostra redemptio: vel: Gloria in excelsis Deo.*

Dominica VI. Post Epiphaniam.

De grano sinapis & fermento.

Matth. 13.

6. Hebdom.

post Epiph.

L.

I. **E**Xpende prædicationem evangelicam, seu prædicatum verbū Dei,

L. 4.

quod

quod regnum cœlorum dicitur, qui reges cœlorum facit sui observatores, rectè comparari grano sinapis: nam sicut illud minimum est exterius, nec specie, nec decore æstimabile; interius verò efficax & calefactivum est: attritum vim suam exserit: seminatum in terra in arborem excrevit, in cuius ramis aves cœli habitent: sic prædicatio evangelica mundo minima & despecta videbatur, quia docet terrena despicere, futura, quæ non videntur, sperare, seipsum abnegare, crucem amare: attrita persecutionibus virtutem suam intus latentem prodidit, atque ita sensim excrevit, & per totum orbem se expandit, ut tot sapientes mundi huius, tot reges, tot populi ad eam completendam conuolârint. Quanta hinc elucet diuina bonitas & sapientia? quantopere nobis hac ratione commendatur humilitas, interna sanctitas, & patientia? Admiratio & laudatio diuinæ potentiæ & sapientiæ, zelus proficiendi in humilitate, sinceritate cordis, & patientia.

II. Quomodo Christus ipse, & quis electus assimiletur sinapi. nam Filius Dei factus homo, licet rex supremus esset, humilis, mansuetus, pauper,

con-

contemptus apparuit : attritus varijs
 persecutionibus, calumnijs, oppro-
 brijs, cruciatibus vim suam diuinam
 exseruit, igne amoris omnes accendit;
 tandemque excreuit vsque ad dexte-
 ram Patris, vt omnes Sancti in eo ni-
 dificent, vt praefiguratum fuit in la-
 pillo illo exciso de monte sine mani-
 bus, qui creuit in montem magnum. *Das 2.*
 Similiter quiuis iustus eius exemplo
 debet esse minimus, id est, humilis, sibi
 mortuus, mundo crucifixus: atteren-
 dus & probandus varijs tribulationi-
 bus, opprobrijs, & persecutionibus,
 vt videre est in Iob, Dauide, Martyri-
 bus, alijsque Sanctis: & sic tandem
 virtus eius intus latens mundo inno-
 tescet, ipseque indies in gratia & san-
 ctitate proficiens altius exsurget, mul-
 tosque ad imitationem suarum virtu-
 tum alliciet. Gratitude, gaudium de
 exaltatione Christi, zelus illum om-
 nesque iustos imitandi in humilitate,
 amore crucis, zelo animarum.

III. Quomodo rectè etiam fermento,
 quod massam fermentat & condit,
 assimiletur verbum Dei, Christus in
 SS. Eucharistiâ, quiuis etiam iustus.
 Nam verbum Dei fermentat animas,
 eas immutando, sursum erigendo, sa-
 pidas.

pidas & gratas Deo reddendo: Christus sumptus in Eucharistiâ miram vim in anima exercet, eam purgando, illuminando, accendendo, in se transformando: Iustus tenetur proximos fermentare, verbo & exemplo eos conando Deo lucrari, Gratitude, devotio erga ven. Sacramentum, zelus animarum.

Hac sextâ hebdomadâ post Epiphaniam, possent loco meditationis ordinaria, modus secundus & tertius orandi (prout i. p. Indust. c. 11. S. 2. & 3. fusius explicantur) pro cuiusque devotione usurpari, vel aliqua meditationes succulentiores ex prioribus reddi.

Finis Meditationum Prima
partis.

SE.